

tia voluminis pars amplius superstes fuerit.

Ægra jam firmos pugnos poterat formare; vires augebantur quotidie.

Tertio nunc mense continuat pulveris usum, & topi fere quotidie minuuntur, & dolores cessarunt in omnibus membris, atque articulis.

Finito tertio mense solo hujus pulveris usu curata valedixit nosocomio.

#### EXPERIMENTUM XII.

**A**Ncilla, viginti aliquot annorum, malo venereo pessime afficiebatur.

Orti sunt plures in capite topi, qui magnitudine ovum gallinaceum superabant.

Glan-

Glandulæ submaxillares, parotidesque in ingentem molem, tactu vere offeasam, intumuerunt, concreveruntque.

Partes has tumidas ac induratas, & omnes totius corporis articulos & membra tantus tenuit dolor, ut misera nil comedere, nec quiete jacere, minus adhuc dormire potuerit, deglutitio erat difficillima, & masticatio impossibilis.

Summum denique aderat vitæ periculum, dum hæc ægra in nosocomium ferbatur.

Casu rite examinato, & collatis omnibus symptomatibus non audebamus Dominus *Collin* & ego tentare remedia mercurialia, requirebatur celeris in melius mutatio, ne præ nimio dolore, aut ex somni, nutrimenti, ac virium defectu ægra extingueretur.

Quum egregios ex pulvere de aconiti extracto effectus vidimus, & frequentiori experientia eramus convicti, eum sine noxa posse ægris exhiberi, transibat ilico ad ejus usum.

Secundo & tertio die jam dolores mitiores erant, dein sequebatur somnus, & appetitus, & deglutitio fiebat longe liberior.

Alvus ope hujus pulveris solvebatur aliquoties quotidie, & aucta est corporis totius transpiratio.

Intra mensis spatium non tantum tophi omnes diminuti sunt, sed & liquecebat multum moles durissimarum glandularum submaxillarium ac parotidum; de quo dubitabamus in principio; etenim hi tumores non tantum tactu, verum & sonitu, dum leviori instrumento  
per-

percutiebantur, ossæam compagem referebant.

Aberat omnis dolor, augebantur quotidie vires, ægra quiete dormivit, appetiit, & masticationem ciborum jam absque omni impedimento exercuit.

Secundo mense tophus, qui in medio offis frontis hærebat, rumpebatur, exiitque multa materies ichorosa, sanguine mixta.

De reliquis tophis fere nil amplius erat videndum, nec percipiendum tactu.

Sub initium tertii mensis jam omnis glandularum durities erat soluta, aderant vires, functionesque omnes videbantur ad statum naturalem redigi.

Paucæ reliquiæ, quæ nunc adhuc circa genas observantur, quotidie minuuntur, ita quidem, ut hæc ægra a suis miseris brevi integre restituetur.

Ulcus, rupto in osse frontis topko ortum, quod in principio scœdum erat, & habuit labia retorrída, mali moris, applicatis linteis carptis, infuso cicutæ madidis, optima carne replebatur, & bona firmaque cicatrix ubique formatur.

EXPERIMENTUM XIII.

**V**Ir (40. aliquot annorum,) vera anchylosi circa articulum cubiti sinistri laborans, venit ad nostrum nosocomium.

Totus articulus, jam a multis mensibus in ingentem tumorem, admodum dolentem, erat elevatus.

Varia externa internaque remedia longo tempore applicata, nil mutarunt; imo quædam ex iis magnos produxerunt dolores.

Ten-